Bibliothèque numérique

medic@

Fagon, Guy Crescent - candidat / Le Breton, Charles - président. - An senibus nocet meri potio ?

1664.

Paris

Cote : ms 79 n°1154

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x08x1154

DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. MARTII.

M. CAROLO LE BRETON, Doctore Medico, Præſide.

An ſenibus nocet meri potio?

PERFECTA dicuntur animalia quæ commixtione corporum & ſeminum vtriuſque parentis generantur, & functiones edunt plures atque nobiliores, ideóque inſtructa ſunt partibus calidis & frigidis, vt ſuo concentu ſibi inuicem totique corporis moli temperiem concilient vitæ functionibus obeundis conſentaneam. Solidas partes fouet ſpiritus à corde perenniter affluens; is corde ipſo calidior eſt ſuæ originis momento, quum vteri calore accenſus operari incipit, hoc eſt ipſe non virus vitam orditur. At ne ſuo in foco proprio ab æſtu euanidus vitæ continuandæ eſſet inutilis, mox inſpirati aëris & ſanguinis ab hepate illabentis copulâ illigatus, & ab illis refectus abit in liquorem arterioſum pulſatilem perpetui motus authorem in corde & arteriis, eòque duplici motu rurſus ardoris & ſordium impatiens, toto corpore præſtat vberius refrigerium & expurgationem, tum demum maximè temperatur cum ab arteriis in ſolidas partes dilapſus pleno fruitur conſortio humoris primigenij temperatiſſimi & penè frigidi: interea illas viciſſim beat ſopitum in illis ſuſcitans ignem, & ab humore primigenio in ſpeciem vaporis vitalem euocat ſcintillam, quæ mox diditur in carnoſas. His ea lux niſi affulgeret etſi in ætate quâlibet nutritionis & accretionis gaudeant beneficio, illo tamen vitæ deſtituerentur; vſque adeò tritum eſt ore Philoſophorum, elementa inter ſe diſſidentia mutuo complexu in gratiam ſobolis eximias ſuas qualitates complacare, ac præcipuè noſtro in genere calorem multo humore mitigatum vitam parturire. Cur eôdem quoque partu non ſemper enaſcitur ſanitas vitæ delicium? Cur nonnulli cauſarij in pœnam & morbum viuaces ſunt? Et contra non rarò accidit ſanis & robuſtis citò ſeneſcere & mori: Scilicet alia ſunt vitæ & ſanitatis principia, quæ vt plurimùm conſentiunt. At illa interdùm alio modo diſpenſat fatum. Hoc verò ſibi accelerant homines quibus incautis neglectâ prorſus valetudinis curâ, cibo & potu intemperato veſci volupe eſt: præſertim ſi infirmi ſint & ſenes, quos maximè lædit victus ratio omnis calefaciens & exſiccans.

MVS ex putri materiâ gignitur: cur equus ſimili modo gigni non poſſit naturæ arcanum eſt, quod mens noſtra nullâ ratione poteſt reuelare: majorem in equo ſi ais eſſe organorum apparatum, non perſuades; hoc decus homini proprium eſt qui inter animalia præſtantiſſimus, quod ſit mentis particeps calidum innatum obtinuit vberrimum, & puriſſimum. Idcircò illi inſtaurando materiam ſuppeditat vmbilicus à matre probè ſubactam, quam fœtus naturæ nutu, non pellectus eſcæ voluptate, coquendi labore nullo, omnem ſibi apponit, neque nimiam neque parciorem, nullâque vehementi qualitate conditam. Ea eſt naſcentis in vtero caloris efficacia, eaque materiæ puritas, vt totus ferè migret in ſubſtantiam humidi primigenij. Infanti quoque in lucem edito pro vmbilicali liquore mamma lac reddit temperatiſſimum, neque tamen ab eo æquè prompta & luculenta fit incrementi aut roboris acceſſio natiuo calori in illâ ætate & totâ pueritiâ, quum nimio natiuitatis humore demerſus lentiùs ſe mouens, cibum nequit ſuperare ſi nimius eſt vel robuſtus. In ſene rurſùs multò major eſt natiui caloris infirmitas, cui exhauſto penè humore primigenio, aqueo exuperante marceſcunt viſcera, vel ſaltem eam quæ olim fuerat hepatis ſui benignitatem non experitur, ideóque minus firmâ vtitur valetudine. Vna ſupereſt beneficentia ſpiritus à corde influentis: hic verò multâ fæce conſpurcatus malignè lucet, maléque ſuo officio fungitur, vt illi ſuppetat vel optimi cibi vberior commeatus illum ægrè conficiet; quid non mali ab eo expectes ſi edulia ſolida vel potulenta ingerantur, quæ viribus polleant immodici caloris aut ſiccitatis? ea certè manebunt cruda, indigeſta, corrupta, & ab iis ſuccreſcet plurima excrementorum illuuies, per patentes vias & inania partium ſpatia oberrans, frequentiſſima & citiſſima vitæ pernicies dolore ſtipata, vt quæ à ſenili marcore paulatim obrepit doloris expers.

SPIRITVS vitalis vbi calidum innatum integrat & vegetat temperatus eſt, is vitam aſſiduè fundit vſque ad mortem. At quoniam vt ignis ſic ſpiritus & vita ſine continuâ generatione ſubſiſtere non poſſunt, poſtquàm idem ſpiritus ſuum opus peregit, nempè aliquam vitæ particulam, neceſſe eſt vt aliam denuò inſtauret, aliud & omninò diuerſum nutritionis munus ab illo obiri. In iſto munere vehementiſſimè feruet partes ſolidas humoris primigenij cuſtodes pererrans, quin etiam illas perureret niſi illi moderando commoda quam plurima ſuppeditaſſet natura. Aër pulmones & arterias totius corporis & ſpiritum ipſum vbique temperat, neque id ſatis. Frigidi & humidi potus deſiderium inſuper additum eſt in animalibus viuiparis & pulmonem habentibus. Ita ne potus iſte pulmones temperet & ſpiritum, qui cum ſit natiui caloris portio nobiliſſima, quidquid aqueum eſt & prorſus frigidum & quidquid calidius eſt aut ſiccius faſtidit vt ſibi diſſocialia? Sanè potus non primò in pulmones delabitur, ne ſtillæ quidem aut roris more: ſed ventriculum ſubit pleno alueô. Hic chylum diluit, temperat, nec non vbi ventriculi & venarum conſuetudine frigus ſuum infregit, ſanguinem quoque temperat, qui deindè multo ſero dilutus cordis & ſpiritus incendia mitiget. Ideò potus belluis aqua frigida vbique proſtat. Hominem magis juuat ſitim reſtinguere vino diluto quod humidum eſt & actu frigidum, ſimulque facultatem continet moderati caloris, quo citiùs & veluti compendio ſpiritus ſubſtantiam reficiat, vnáque illius æſtum ſoletur: quod homini commodiſſimum eſt qui jugi mentis agitatione ſpiritus quam plurimos conſumit. Neque tamen tam multiplex refrigerium, ſpiritui vitali temperiem vitæ perennandæ conuenientem valet conciliare. Is enim à cordis foco ſemper æſtuans & ſiccus exit, nec ceſſat coctionum officinas ſi non perurere; exſiccare certè & infirmare. Sed quoniam eo modo eſt caſtigatus, infirmitas ſenſim obrepit & diù nullâ euidente labe, ſolâ temperamenti commutatione per inæqualia ætatum interualla & vices deprehenditur: ſed tempore procedente cum primò affectum eſt hepar, dein ventriculus, tum chylum & ſanguinem non benè ſubacta reddunt: & erunt crede mihi deteriora ſi merum propines; vt enim facilius eſt impleri potu, ſic etiam lædi ſi in vitio fuerit, vt eſt iſtud potionis genus calidum nimis & ſiccum.

SVCCORVM è plantis ſtillantium vel expreſſorum alij prorſùs aquei apparent, alios facilè deprehendes exuberanti ſpirituum copiâ turgeſcere, & inter omnes maximè ſuccum vuæ. Hanc vitis diù non ſinit ſapore acerbo vel acido immitem eſſe, vim caloris illi inſitam promouent æſtiui ſoles. Ab his excocta & matureſcens diffluit ſucco dulci, muſto nempè quod conflatum eſt vario & multiplici humore, crudo, vinoſo, tenui, craſſo, hunc fæcem & tartarum, illum vini florem nuncupant. In muſto nullam inuenies particulam in quâ non ſint confuſa iſta quatuor; nullam quoque eſſe puta in quâ non præualeat pars vinoſa plurimo vbique fœta ſpiritu: cujus vis tantiſper preſſa mox erumpit & ignem concipit, omneſque totius muſti particulas in totidem bullas & ſpumam agens, ab eo impura quæque ſegregat. Ab eâ ebullitione perfectâ coctione exit vinum, liquor limpidus purus immodicè calidus & ſiccus. Purum putum putares in vitro nitere ſpiritum. Is tamen deferbuit quum ſepoſitâ & depreſſâ omni fæce diffuſus quoquouerſùm, & in minimas partes diuiſus atque obſitus crudo humore qui etiamnùm in vino ſupereſt, inhibetur ne ſuo calore tactum feriat. Neque ſic vinum deſinit acuto & acri ſapore linguam fauceſque vrere, & interdum ventriculo quoque moleſti ardoris ſenſum immittere, mox enim vt hauſtum eſt cæcus ille calor calori noſtro additus, crudâ ſe exoluens materiâ vim accipit indomitam, quam vix ferant robuſta juuenum viſcera, nedum imbecilla ſenum, talem vini meri ſuccum è cujus ſinu liquidus ignis, titulo & ſpecie aquæ ardentis educitur, an potum eſſe dicis? An alimentum? An medicamentum? Veriùs dixeris tabificum ſenibus venenum.

QVISQVIS ſenectæ limen ingreſſus eſt, jam tùm incipiat ſalubri diſciplinæ morem gerere, vtcunque viridi adhuc & benè habito corpore ſibi videatur vitæ muniis facere ſatis, ſuſpectum habeat vigorem illum, qui breui elangueſcens poſtmodùm concidet. Celari non poteſt ætas, cutis ſquallor, hebeſcens oculorum acies, & ſparſa canis tempora ſatis admonent ſiccitatis & frigoris viſcerum, & hæc jam tractanda eſſe molliùs humectante cibo & potu, qui etiam mediocri ſuo calore illa perfundens, natiui caloris vices obeat. Id agere plerique ſenes negligunt, jactantes ſe inconſulto medico liberiùs viuere aſſuetos, non poſſe id ætatis grauiſſimum conſuetudinis imperium detrectare. Verumtamen vt prima validæ ſenectæ tempora ſint ferendo priſtino victus mori quod ſpectat ad ſolidum cibum, non ideò pariter impunè ferent meri potum cui anteactis ætatibus aſſueuerint. Quamobrem niſi eos vitæ ſatias tenet primo quoque tempore immutent conſuetudinem illam prauam & à naturæ legibus abhorrentem. Naturam ſi neſciant immodica quæque & vehementia reſpuere, mediis & moderatis gaudere. Hoc illos docere poterant animalium ortus, natiuitas, vita, ſanitas; liquet enim omnia naturæ munia & opera nonniſi largiſſimâ temperati humoris affuſione elaborari & perfici: eademque intercidere & corrumpi, quoties benignum illum humorem vel haurit ſiccitas, vel immodicus calor adulterat. Iam de nutricatu, cùm totus pendeat à probâ chyli temperie, vbi eum ſiccus & feruidus meri halitus infecit vel aduſſit, ſpes nulla eſt ab eo qui concepto alieno calore patrium diſſipans, deinceps ſuccos omnes corporis perturbet & confundat. Hæc ſi minùs aduertant certè quod viſum & auditum quotidie fugere illos non poteſt, quàm multiplici & quàm graui infortunio mulctentur quicunque ſenes facti merum bibere non deſinunt. Illum excruciat arthritis dolorum omnium acerbiſſimus, qui tamen ſanitatem demolitur non vitam; huic poplites obortâ artuum duritie contrahuntur; hydrope multi pereunt, tabe plurimi; non paucis ictus ſanguinis ſpiritum intercludit, quos rarò à morte redimit æternùm manſura paralyſis. Aſſiduo tremore nutant penè omnes: adeò impendent à mero morbi omnis generis tum calidi tum frigidi: omnium vna cauſa eſt infractus à mero neruorum tenor, quod fumis ſuis catarrhos ciens illos madefecerit, vel ſiccâ ſuæ fuliginis aurâ afflauerit. Miſerum eſt profectò calamitatis genus, à quo vindicari expeditum fuerat ſi mero aquam affudiſſent. Hac facili ope vino ſuæ laudes conſtarent, tanta eſt in eo ſic emendato lenitudo & ſuauitas, felix nutritio & quæ citò abeuntem ſpiritum reuocat, æquabilis ejuſdem ſpiritus in corde diffuſio lætitiæ parens, ad hæc mentis totiuſque corporis vigor, quæ vini beneficia nullus vnquam ſenex à mero obtinuit. Profectò vt quiſque minimo vino eoque diluto contentus eſſe aſſueuerit, ita fortunatam & longæuam vitam ducet maximè, qui ſecùs fecerit præſertim ingraueſcente ætate, illi quantulacunque vitæ penus reliqua ſit in corde, paruo ſpatio conſumpta peribit.

Ergo ſenibus nocet meri potio.

Aſſerebat Lutetiæ GVIDO CRESCENTIVS FAGON Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIV.